

stricto simul cum monasterio sancte dei genitricis virginis Marie, curtem de Vergneo cum castro et districto, curtem de sancto Iuliano, curtem de Granduno, curtem sancti Remigii, curtem de Monte Aginoni^a, curtem de Villa que dicitur Gundrammi^b, curtem de Retullafollo^c, curtem Inter-aquas, curtem Mardarello^d, curtem Villariolo Mediano, curtem Castelucio^e, curtem Villaricio^f, curtem Sapeia^g, curtem Valleputa, curtem Bezo^h, curtem Arena, curtem Lavaono, curtem Drantios, curtem de Cherignino cum castro capella et districto — decimas quoque ipsius episcopatus nec non ecclesias eidem episcopatu pertinetes, montes vero et valles aquis aquarumqueⁱ molendina piscationes foresta silvas pascua buscalia omnia in integrum, quicquid videtur esse apenditiis^k supra dicte civitatis Morienne, donamus concedimus atque delegamus iam dicte ecclesie sancti Iohannis^l baptiste Taurinensis sedis. Omnia, ut dictum est, per imperialem paginam confirmamus huic nostro fidei Guidoni episcopo pro remedio anime nostre nostrorumque successorum et pro petitione supra dicto^m Odolrico nostro consiliario Brixianensi antistiti^m, eo vero ordine ut omni tempore inⁿ perpetuo maneat firmum et stabile et investitura supra dicte civitatis Maurianensis^o ad^p Guidonem presulem^p et successoribus suis sit facta. Precipientes igitur firmiter stabiliterque iubemus, ut ammodo nemo archiepiscopus episcopus abbas dux marchio consul proconsul nullaue regni nostri maxima minimaue persona pretaxatum^q sancti Iohannis^l baptiste Taurinensis sedis de^r prescriptis^s rebus et tam in urbibus quam in vicis et castris domibus quocunque modo fabricatis familiis utriusque sexus que superius recitantur disinvestire^t inquietare molestare causare perturbare presumat. Si quis preterea^u hoc nostre auctoritatis preceptum et tutelle^t defensionis infringere et annullare presumpserit, auri optimi libras decem milia persolvaturum^t animadvertat, medietatem camere nostre et medietatem prenominato episcopo seu successoribus suis, et sicut superius iubetur inconvulsum permaneat. Ut autem huic pagine significationis nostre

a) 'Agmoni' C. b) 'Gūadrami' C. c) 'Retulafollo' C. d) 'de Mard.' C. e) 'Castelutio' C. f) 'Villaritio' C. g) 'Sapeio' C. h) 'Beza' C. i) dahinter zu ergänzen 'decursibus'. k) davor zu ergänzen 'in'. l) 'Ioannis' C. m) 'dicto (a) — antistiti' BC, wohl zu emendieren 'dicti Odolrici nostri consiliarii Brixianensis antistitis'. n) 'et' C. o) 'Mauriane' C. p) 'a Guidone presule' C. q) 'pretaxato' C, dahinter etwa zu ergänzen 'episcopum'. r) fehlt in C. s) 'supra scriptis' C. t) BC. u) 'propterea' C.